



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera**

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;  
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

**Gregor <I., Papst>**

**Lutetia Parisiorum, 1675**

Sancti Gregorii Moralis Expositionis In Beatum Job Liber Tertivs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)



virtutes ejus habeantur, quo habitæ teneri non A possunt. Mediator autem Dei & hominum homo Christus Jesus, in cunctis eum & semper & continè habet præsentem: quia & ex illo idem Spiritus per substantiam profertur. Rectè ergo cùm in sanctis prædicatoribus maneat, in mediatore singulariter manere perhibetur: quia in istis per gratiam manet ad aliquid, in illo autem per substantiam manet ad cuncta. Sicut enim corpus nostrum sensum tantummodo tactus agnoscit, caput autem corporis, usum simul omnium quinque sensuum possidet, ut videat, audiat, gustet, odoretur, & tangat: ita membra superni capitis in quibusdam virtutibus emicant; ipsum verò caput in cunctis virtutibus flagrat. Dissimiliter ergo Spiritus in illo manet, cui se ad votum substantialiter exhibet, &

à quo per naturam numquam recedit. Dona verò ejus, quibus ad vitam tenditur, sine periculo amitti non possunt: dona autem, quibus vitæ sanctitas demonstratur, plerumque, ut dictum est, sine dispendio subtrahuntur. Illa ergo pro nostra eruditione tenenda sunt, hæc pro alienis profectibus exquirenda. In illis nos terreat formido, ne pereant: in istis verò ad tempus aliquando sublatis consoletur humilitas; quia ad elationem mentem fortasse sublevant. Cùm igitur concessa nobis virtutum signa subtrahuntur, dicamus rectè: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Tunc enim verè ostendimus, quia accepta rectè tenuimus, cùm profectò æquanimitè ad momentum sublata toleramus.

Libri secundi Moralium finis.

SANCTI GREGORII  
MORALIS EXPOSITIONIS  
IN BEATVM JOB  
LIBER TERTIVS.

CAPUT PRIMUM.

**B**EATUS Job ad mortem petitus in tentatione, ad vitam crevit ex verberare: & antiquus hostis unde se bona ejus aestimavit extinguere, inde doluit multiplicasse. Sed quia in primo certamine se succubuisse considerat, ad alias tenta-

tionum bella restaurat, & de sancto viro mala adhuc impudenter sperat: quia bona malus credere non potest, vel experta. Ea autem, quæ in prima ejus percussione præmissa sunt, iterum subnectuntur, cùm dicitur:

CAP.  
II.

**F**actum est autem, cùm quadam die venissent filii Dei, & starent coram Domino; venisset quoque satan inter eos, & staret in conspectu eius, ut diceret Dominus ad satan: Unde venis? Qui respondens, ait: Circuii terram, & perambulavi eam. Et dixit Dominus ad satan: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra: vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra. Cui respondens satan ait: Pellem pro pelle, & cuncta qua habet homo, dabit pro anima sua: alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi. Dixit ergo Dominus ad satan: Ecce in manu tua est: verumtamen animam illius serva. Egressus igitur satan à facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem eius: qui testa saniem radebat, sedens in sterquilino. Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere. Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis. Igitur audientes tres amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suthites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum: & exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus, sparserunt pulverem super caput suum in celum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.

Hæc quia latius supra differuimus, melius silentio præterimus: ne, dum lapsius discussa repetimus, tardius ad indiscussa veniamus. Quamvis hoc, quod voce Domini ad satan dicitur: Unde venis? nequam aestimo, quod ita ei, ut prius, dicatur: Cùm enim ab eo certamine, in quo relaxatus fuerat, victus redit; & unde venit, requiritur, qui unde veniat, scitur: quid aliud, quam infirmitas superbiæ ejus increpatur? ac si ei apertè divina vox dicat: Ecce ab uno & in infirma carne posito homine vin-

ceris, qui te contra me auctorem omnium erigere \* conabaris. Unde mox Dominus cùm beati Job bona, sicut prius diceret, hæc cum victoriæ triumphis enumerans adjungit: [Et adhuc retinens innocentiam suam.] Ac si apertè dicat: Tu quidem exercuisti malitiam, sed ille innocentiam non amisit: & unde te aestimasti profectum ejus imminuere, inde compulsum es ejus profectui deservire: quia mentis innocentiam, quam gloriose tenuit in tranquillitate, gloriosius servavit in verberare. Sequitur:



Quod iusti & frustra percutiuntur & non frustra: non frustra, quia augetur vicia meritum: frustra, quia in eis non punitur peccatum.

## CAPUT II.

**T**errem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra. ] Cum sit Deus iustus & verax, valde querendum est, quomodo beatum Iob frustra afflixisse se indicat. Quia enim iustus est, frustra affligere non potuit: sed rursus quia verax est, aliter non potuit dixisse, quam fecit. Ut ergo iusto & veraci utraque conveniant, quatenus & vera dicat, & iniusta non faciat; cognoscamus beatum Iob & iuxta aliquid frustra, & rursus iuxta aliquid non frustra percussum. Quia enim iustus & verax hæc de semetipso asserit: ostendamus & verum extitisse quod dixit, & rectum fuisse quod fecit. Necessesse quippe erat, ut sanctus vir Deo soli si que cognitus, quanta virtute polleret, ad imitandum cunctis innotesceret. Aperta namque aliis virtutis exempla non daret, si ipse sine tentatione remaneret. Actum est ergo, ut & vires ejus cunctis imitandas ipsa vis percussio ostenderet, & flagella proderent quod in tranquillitate latuisset. Sed eisdem flagellis crevit virtus patientiæ, atque ex dolore verberis, aucta est gloria remunerationis. Ut ergo in dicto Domini veritas, rectitudo autem teneatur in facto, beatus Iob & non frustra percutitur, quia augetur meritum: & tamen frustra percutitur, quia nullum punitur admissum. Frustra enim percussus est, cui culpa nulla reciditur: & non frustra percussus est, cui virtutis meritum cumulat. Sed quid est quod dicitur: [ *Commovisti me adversus eum?* ] Numquid satanae verbis Veritas accenditur, ut in subditorum suorum cruciatus instigaret? Quis hæc de Deo senserit, quæ recto etiam homine indigna perpendit? Sed quia nos ferire nisi commoti nescimus, ipsa divina percussio commotio vocatur: & ad nostra verba divina voce descenditur, ut ejus factum ab homine utcumque capiatur. Illa enim vis, quæ absque necessitate omnia creavit, & sine defectu omnibus præsidet, & sine labore cuncta sustentat, & sine occupatione regit, etiam sine commotione corrigit: sicque humanas mentes ad ea quæ voluerit, flagellis format, ut in diversitatis umbram à suæ incommutabilitatis luce non transeat. Sequitur: [ *Cui respondens satan, ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabis pro anima sua: alioquin mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem. & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.* ] Antiquus hostis ex rebus exterioribus colligit, quod beato viro ad mentis crimen infligit. Pelle enim pro pelle dari asserit: quia sæpe dum venire ictum contra faciem cernimus, manum palpebris opponimus, ut ab ictu oculos defendamus: & corpus vulneri objicimus, ne in corpore teneriori vulneremur. Satan ergo hæc consuetudine fieri sciens, dicit: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Ac si aperte dicat: Idcirco Iob tot extra se flagella æquanimiter patitur, quia pavet, ne ipse feriat. Cura ergo carnis est, quod damno affectuum carnalium motus non est: quia dum sibimetipsi metuit, minus suorum percussiones sentit. Unde & mox ejus carnem feriendam postulat, dicens: [ *Mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem. & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.* ] Superius dixerat: *Tange cuncta quæ possidet, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.* Nunc quasi prioris propositionis oblitus factus, de aliis alia postulat. Quod tamen rectè divina dispensatione permittitur: quatenus alterceator impudens vel sæpe victus obmutescat. Sequitur:

Quod satan dicitur servare quæ non permittitur tangere.

## CAPUT III.

**D**ixit ergo Dominus ad satan: Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva. ] Ecce iterum permissionem verberis comitatur custodia protectionis, & electum suum divina dispensatio custodiendo deserit, deserendo custodit: alia illius prodit, alia protegit. Si enim totum Iob desereret in manu tanti adversarij, homo quid esset? In ipsa ergo iustitia permissionis misceatur quædam libra pietatis: quatenus in uno eodemque certamine & servus humilis ex opprobrio proficiat, & hostis superbiens ex permissione succumbat. Manu itaque adversarij sanctus vir traditur, sed tamen in inimicis adjutoris sui manu retinetur. De illis quippe ovibus fuit, de quibus in Evangelio ipsa Veritas dicit: *Non rapiet eas quisquam de manu mea:* & tamen expetenti hosti dicitur: *Ecce in manu tua est.* Idem ergo in manu Dei, idem in manu est diaboli. Nam dicens: [ *In manu tua est;* ] cum protinus adjungit: [ *Verumtamen animam illius serva;* ] patenter pius adjutor innotuit, quia tenuit quem concessit, & dando non dedit, quem adversarij sui jaculis objiciens abscondit. Quid est autem hoc, quod ad satan dicitur: [ *Animam illius serva?* ] Quo enim pacto ille custodit, qui custodita semper irrumpere appetit? Sed servare satan dicitur irumpere non audere: sicut econtrario Patrem in oratione postulamus, dicentes: *Ne nos inducas in tentationem.* Neque enim in tentationem Dominus inducit, qui semper à tentatione subditos misericorditer protegit: sed tamen in tentationem quasi ejus inducere est, à tentationis nos illecebra non munire. Et tunc nos in tentationis laqueum non inducit, cum tentari nos ultra quàm possumus, non permittit. Sicut ergo Dominus inducere nos in tentationem dicitur, si nos ab adversario induci patiamur: ita adversarius servare animam dicitur, cum hæc tentando superare prohibetur [ *Egressus igitur satan à facie Domini.* ] Quomodo satan à facie Domini exeat, ea quæ jam superius dicta sunt, manifestant. Sequitur: [ *Percussit Iob ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem ejus.* ] Duobus semper modis flagella pensanda sunt: ut scilicet perpendantur, aut qualia sint, aut quanta. Nam sæpe multa ex qualitate, sæpe gravia ex quantitate levigantur: si videlicet cum multa sunt, non sint gravia; cum verò gravia, non sint multa. Ut igitur ostendatur, quomodo per asperitatem flagelli adversarius contra sanctum virum non solum per nequitiam qualitatis, sed etiam per pondus quantitatis exarsit: ad demonstrandam qualitatem dicitur: [ *Percussit eum ulcere pessimo:* ] ad insinvandam verò quantitatem subjungitur: [ *À planta pedis usque ad verticem:* ] ut nimirum nihil in mente vacet à gloria, in cuius corpore nil vacat à pœna. Sequitur:

Quod multi secularibus dignitatibus præditi, vas fictile quod gestant, quàm cito sis conterendum non attendunt.

## CAPUT IV.

**Q**ui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. ] Unde testa, nisi ex luto conficitur: quid verò est sanies corporis, nisi lutum? Saniem ergo rade-re testa perhibetur, ac si aperte diceretur: Luto tergebat lutum. Pensabat quippe vir sanctus, unde sumptum fuerat quod gestabat, & fragmento vasis fictilis contractum vas fictile radebat. Quo facto patenter ostenditur, corpus suum quomodo sibi sanum subdidit, quod & percussum sic despiciens



curavit: quam ille molliem sanæ suæ carni concessit, qui non vestem, non digitos, sed testam etiam vulneribus admovit. Testâ ergo radebat famiem: ut semetipsum & in fragmento considerans, etiam de extersione vulneris fumeret curam mentis.

4. Quia verò sæpe per ea quæ circa corpus sunt, animus inflatur: & per hoc quod erga nos agitur, fragilitas nostri corporis ab oculis cordis amovetur, (sicut nonnulli sæculares cum temporalibus dignitatibus fulciuntur, dum locis altioribus præsentent, dum multorum obsequia sibi suppere ad votum vident, fragilitatem suam intueri negligunt, & vas fictile quod gestant, quam sit velociter conterendum, obliviscentes omnino non attendunt) beatus Job ut considerationem suæ fragilitatis etiam ex circumstantibus traheret, & ante oculos suos vim suæ despectionis auget; non qualibet in terra, quæ pene ubique munda reperitur, sed in sterquilinio sedisse perhibetur. In sterquilinio ponebat corpus, ut ex terra sumpta, quæ esset carnis substantia, bene proficiens perpenderet animus. In sterquilinio ponebat corpus, ut etiam loci fetore caperet, quod festinè corpus ad factorem rediret.

*Quid sit, quod Deus in hoc seculo sic despicit, quos ante sæcula sublimiter elegit.*

## CAPUT V.

Sed ecce cum beatus Job tot rerum damna sustinet, tot funeribus pignorum percussus dolet, tot vulnera tolerat; dum decurrentem famiem testâ radit, dum per putredinem defluens in sterquilinio residet; intueri libet quid est, quod omnipotens Deus quos sibi tam charos in æternum conspiciat, tam vehementer quasi despiciens affligit. Ecce autem dum beati Job vulnera cruciatuque considero, repente mentis oculos ad Joannem reduco, & non sine gravissima admiratione perpendo, quod ille prophetiæ spiritu intra matris uterum impletus, atque, ut ita dixerim, priusquam nasceretur, renatus: ille amicus sponsi, ille, quo inter natos mulierum major nemo surrexit: ille sic propheta, ut plus etiam quam propheta, ab iniquis in carcerem mittitur, & pro puellæ saltatu, capite truncatur, & vir tantæ severitatis pro risu turpium moritur. Numquidnam credimus aliquid fuisse, quod in ejus vita illa sic despecta mors tergeret? Sed quando ille vel in cibo peccavit, qui locustas solummodo & mel silvestre comedit? Quid Deo vel de qualitate sui regimini deliquit, qui camelorum pilis corpus operuit? Quid de conversatione sua offendere potuit, qui de eremo non recessit? Quid illum loquacitatis reatus polluit, qui disjunctus longè ab hominibus fuit? Quando illum vel silentij culpa attingit, qui ad se venientes tam vehementer increpavit, dicens: *Genimina viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira?* Quid est ergo, quod Job Dei testimonio præfertur: & tamen plagis usque ad sterquilinum sternitur? Quid est, quod Joannes Dei voce laudatur, & tamen pro temulentij verbis in \* saltatricis præmium moritur? Quid est, quod Deus omnipotens sic vehementer in hoc sæculo despicit, quos sic sublimiter ante sæcula elegit, nisi hoc, quod pietati fidelium patet: quoniam idcirco sic eos premit in infimis, quia videt quomodo remuneret in summis; & foras usque ad despecta dejicit, quia intus usque ad incomprehensibilia perducit? Hinc ergo unusquisque colligat, quid illic sint passuri quos reprobat, si hic sic cruciat quos amat. Aut quomodo ferientur, qui in judicio arguendi sunt: si sic eorum vita premitur, qui ipso iudice teste laudantur? Sequitur:

Mat. 11.

Mat. 3. a  
Luc. 3. a  
Marc. 1.

a al. sal.  
ratio-  
nis.

A *Quod diabolus cum nos tentat, antiquæ artis insidias reperit, & quia scit quomodo Adam decipi soleat, ad Evam recurrit: & quod iustus sit in sterquilinio, qui iniustus fuerat in paradiso.*

## CAPUT VI.

Dixit autem illi uxor sua: *Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* Antiquus hostis humanum genus duobus modis tentare consuevit; ut videlicet corda stantium aut tribulationibus frangat, aut persuasionibus molliat. In utriusque ergo contra beatum Job se vehementer exercuit. Nam prius patrifamilias intulit damna rerum, orbavit patrem morte filiorum, percussit incolumem putredine vulnerum. Sed quia putrescentem foras, sanum adhuc interius stare conspexit, & quem exterius nudum reddidit, hunc interius ditiosem fieri per exhibitam laudem conditoris invidit; callidè cogitans pensat, quod contra se athleta Dei inde premitur, inde sublevarur, victusque ad subtilia tentandi argumenta convertitur. Nam antiquæ artis insidias reperit, & quia scit quomodo Adam decipi soleat, ad Evam recurrit. Beatum enim Job inter tot rerum damna, inter tot percussioem vulnera, quasi in quadam virtutum arce stare invictum vidit. In alto quippe mentem fixerat: & idcirco hanc hostiles insidias irrumperere non valebant. Queritur ergo ab adversario in hanc arcem munitissimam quibus gradibus ascendatur. C Vicina est autem viro mulier, atque subiecta. Cor igitur mulieris tenuit, & quasi scalam, qua ad cor viri ascendere potuisset, invenit. Occupavit animam conjugis, scalam mariti. Sed nihil hac arte prævaluit, quia sanctus vir subiectam sibi mulierem, & non præpositam attendit: & recta loquens docuit, quam serpens ut perverfa loqueretur, instigavit. Dignum quippe erat ut fluxam mentem virilis censura restringeret; cum profectò & de ipso primo lapsu humani generis nosset, quod docere mulier recta nesciret. Unde bene & per Paulum dicitur: *Docere autem mulieri non permitto.* Quia nimirum aliquando cum docuit, à sapientiæ æternitate separavit. Antiquus itaque hostis ab Adam in sterquilinio victoriam perdidit, qui Adam in paradiso superavit: atque adjutricem suam mulierem dum ad verba male persuasionis accendit, ad doctrinam sanctæ eruditionis misit: & quæ excitata fuerat ut perderet, erudita est ne periret. Sic sic à nostris viris fortibus hostis percucitur, ut sua ei etiam tela rapiantur. Unde enim se exaggerare æstimat dolorem vulneris, inde ei contra semetipsum suggerit arma virtutis. Ex verbis autem male persuadentis conjugis vigilantè debemus aspicere, quod antiquus adversarius non solum per semetipsum, sed per eos etiam qui nobis adherent, statum satagit nostræ mentis inclinare. Cum enim cor nostrum sua persuasionem non subruit, ad hoc nimirum per linguas adherentium repit. Hinc enim scriptum est: *A filiis tuis cave, & à domesticis tuis attende.* Hinc per Prophetam dicitur: *Unusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam.* Hinc rursum scriptum est: *Inimici hominis domestici ejus.* Callidus namque adversarius, cum à bonorum cordibus repellit se conspiciat, eos qui ab illis valde diliguntur, exquirat, & per eorum verba blandiens loquitur, qui plus ceteris amantur: ut dum vis amoris cor perforat, facilè persuasionis ejus gladius ad intimæ rectitudinis munimina irrupat. Post damna igitur rerum, post funera pignorum, post vulnera, scissurasque membrorum, antiquus hostis linguam movit uxoris. Et notandum, quo tempore viri mentem studuit virulento sermone corrumpere. Verba enim post vulnera intulit, ut nimirum cum vis doloris ingravesceret, facilè persuasionis

5.

1. Tim.  
2. b

Mat. 10.



6. suggestio perversa prævaleret. Sed si ipsum subtili-  
tentationis ejus ordinem perpendimus, qua cal-  
litate sæviat, invenimus. Movit namque prius  
damna substantiæ, quæ & extra naturam profectò  
essent, & extra corpus. Subtraxit filios, quòd jam  
extra naturam quidem non essent, sed tamen ad-  
huc aliquatenus extra proprium corpus: ad extre-  
mum percussit & corpus. Sed quia vulneribus car-  
nis ad mentis vulnus pervenire non valuit, etiam  
conjunctæ mulieris linguam quæsiuit. Quia enim  
aperto certamine superari se doluit, de ore conjugis  
jaculum quasi de insidiis intorsit, quæ profectò  
diceret: [ *Adhuc permanes in simplicitate tua? be-  
nedic Deo, & morere.* ] Ecce tentando omnia ab-  
stulit, ecce tentando mulierem reliquit, & sancto  
viro callidè cuncta diripuit: sed valde callidius ad-  
jutricem suam mulierem reservavit, quæ dicat:  
[ *Adhuc permanes in simplicitate tua?* Verba sua  
Eva repetit. Nam quid est dicere: Simplicitatem  
desere, nisi obedientiam, \* pomum vèticum co-  
medendo, contemne? Et quid est dicere: Benedic  
Deo, & morere: nisi transcendendo præceptum,  
ultrà quàm es conditus, vive? Sed Adam noster  
fortis in sterquilino jacuit, qui in paradiso quon-  
dam debilis stetit: nam illico ad malè suadentis  
verba respondit, dicens:

*Quid est, quòd in Isaiâ scriptum est: Ego Dominus  
formans lucem, & creans tenebras, faciens  
pacem, & creans mala.*

## CAPUT VII.

**Q**uasi una de stultis mulieribus locuta es: Si bona  
accepimus de manu Domini, mala quare non  
sustinemus? ] Ecce ubique hostis frangitur, ubi-  
que superatur, per cuncta tentationum argumenta  
succubuit: quia & illud suum familiare solatium  
etiam de muliere amisit. Inter hæc igitur sanctum  
virum intueri libet, foris rebus vacuum, intrinse-  
cus Deo plenum. Cùm Paulus Apostolus in semet-  
ipso divitias sapientiæ internæ conspiceret, seque  
ipsum exterius esse corruptibile corpus videret, ait:  
[ *Habemus thesaurum istum in vasculis fictilibus.* Ecce in  
beato Job vas fictile scissuras\* ulcerum exterius fen-  
sit: sed hic thesaurus interiùs integer mansit. Foris  
enim per vulnera crepuit, sed insufficienter interiùs  
nascens thesaurus sapientiæ per verba sanctæ erudi-  
tionis emanavit, dicens: [ *Si bona accepimus de ma-  
nu Domini, mala quare non sustinemus?* ] Bona,  
scilicet dona Dei vel temporalia vel æterna: mala  
autem, flagella præsentia appellans, de quibus per  
Prophetam Dominus dicit: *Ego Dominus, & non  
est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens  
pacem, & creans mala.* Neque enim mala, quæ  
nullà suâ naturâ subsistunt, à Domino creantur: sed  
creare se mala Dominus indicat, cùm res bene con-  
ditas nobis malè agentibus, in flagellum format:  
ut ea ipsa & per dolorem, quo feriunt, delinquenti-  
bus mala sint, & per naturam, qua existunt, bo-  
na. Unde & venenum mors quidem est homini:  
sed tamen vita serpenti. Amore enim præsentium  
ab Auctoris nostri dilectione recessimus, & perva-  
sa mens dum dilectioni creaturæ se subdidit, à crea-  
toris societate disjuncta. Ex his ergo ab auctore fe-  
rienda erat, quæ errans auctori præposuerat: ut un-  
de homo culpam non timuit superbus admittere,  
inde poenam corrigendus inveniret: & tantò citiùs  
respiceret ad illa, quæ perdidit, quantò doloris  
plena esse conspiceret quæ quæsiuit. Unde & bene  
dicitur: Formans lucem, & creans tenebras: quia  
cùm per flagella exterius doloris tenebræ creantur,  
intus per eruditionem lux mentis accenditur. Faci-  
ens pacem, & creans mala: quia tunc nobis pax  
cum Deo redditur, cùm hæc, quæ bene sunt con-  
dita, sed malè concupita, in ea quæ nobis mala  
S. Greg. Tom. I.

74 sunt, flagella vertuntur. Per culpam quippe discor-  
des Deo exitimus; dignum ergo est, ut ad pacem  
illius per flagella redeamus: ut cùm unaquæque  
res bene condita nobis in dolorem vertitur, correcti  
mens ad auctoris pacem humiliter reformetur. Hæc  
itaque flagella beatus Job mala nominat; quia salu-  
tis & tranquillitatis bonum, qua perturbatione  
feriant, pensat. Sed illud valde in ejus verbis in-  
tuendum est, contra persuasionem conjugis quanta  
considerationis arte se colligat, dicens: [ *Si bona  
accepimus de manu Domini, mala quare non susti-  
nemus?* ] Magna quippe consolatio tribulationis  
est, si cùm adversa patimur, auctoris nostri ad me-  
moriæ dona revocemus. Nec frangit quod ex do-  
lore obviat, si menti citiùs hoc, quod ex munere  
sublevat, occurrat. Hinc namque scriptum est: *Eccl. 11.  
In die bonorum ne immemor sis bonorum, & in die  
malorum ne immemor sis bonorum.* Quisquis enim  
dona percipit, sed donorum tempore nequaquam  
etiam flagella pertimescit, in clationem per læticiam  
corrui. Quisquis autem flagellis atteritur, sed fla-  
gellorum tempore nequaquam se ex donis, quæ eum  
contigit accepisse, consolatur, à statu mentis om-  
nimoda desperatione destruitur. Sic ergo utraque  
jungenda sunt; ut unum semper ex altero fulcia-  
tur: quatenus & flagelli poenam memoria tempe-  
ret doni, & doni læticiam mordeat suspicio ac for-  
mido flagelli. Sanctus ergo vir, ut oppressam men-  
tem inter vulnera mulceat, in flagellorum dolori-  
bus blandimenta donorum pensat, dicens: [ *Si  
bona suscepimus de manu Domini, mala quare non  
sustinemus?* Ubi & bene præmittit, dicens: [ *Lo-  
cuta es quasi una ex stultis mulieribus.* ] Quia enim  
sensus pravæ voluntatis mulieribus, non autem se-  
xus in vitio est; nequaquam ait: Locuta es quasi  
una ex mulieribus, sed quasi ex \* ineptis mulieri-  
bus: ut videlicet ostendatur, quia quod pravum sa-  
pientiæ, accidentis stultitiæ, non autem conditæ sit na-  
tura. Sequitur:

*Quòd sicut injusta dicere, ita justa reticere,  
peccatum est.*

## CAPUT VIII.

**I**n omnibus his non peccavit Iob labiis suis. ] Duo-  
bus modis labiis delinquimus, cùm aut injusta  
dicimus, aut justa reticemus. Nam si aliquando &  
tacere culpa non esset, Propheta non diceret: *Vae Isai. 6. &  
mibi, quia tacui.* Beatus igitur Job in cunctis quæ  
egit, labiis suis minimè peccavit, qui nec contra fe-  
rientem superba dixit, nec contra suadentem, recta  
reticuit. Nec loquens ergo, nec tacens deliquit:  
quia & flagellanti patri gratias reddidit, & malè  
suadenti conjugi doctrinæ sapientiæ ministravit.  
Quia enim scivit quid deberet Deo, quid proximo:  
scilicet patientiam conditori, sapientiæ conjugi;  
idcirco & hanc redarguendo docuit, & illum gra-  
tias agendo laudavit. Quis autem nostrum, si unum  
quodlibet vulnus tantæ hujus percussione accipe-  
ret, non mox ab intimis prostratus jaceret? Ecce  
stratus foris vulneribus carnis, erectus intrinsecus  
munimine permanet mentis: & sub semetipso om-  
nè jaculum transvolare conspicit, quod in se exte-  
riùs districta manu sæviens hostis figit: vigilanter  
deprehendit jacula, modò vulneribus contra se à  
facie, modò verbis quasi ex latere intorta. Et bel-  
lator noster circumvallantium certaminum fervore  
deprehensus, ubique patientiæ suæ clypeum op-  
ponit: undique venientibus spiculis obviat, & per  
cuncta virtutum latera circumspectam contra ir-  
ruentia vulnera mentem \* roborat. Sed antiquus  
hostis quò valentiùs vincitur, eò adhuc ad insidias  
ardentiùs instigatur. Nam quia uxor increpata re-  
ticuit, protinus alios qui increpandi ad contume-  
lias surgerent, excitavit. Sicut enim damna rerum  
E ij

\* al. po-  
mum de  
est in  
quibus  
nam  
1858.

2 Cor. 4.  
\* al.  
vulneri

Isai. 41.  
a.

\* al. ro-  
at.



studuit crebrius nunciando percutere; ita nunc robustum pectus fatagit verborum contumeliis sapius feriendo penetrare. Sequitur:

*Quod ubi virtus discretionis perditur, intentio, qua initium virtutis habuit, finem accipit criminis.*

## CAPUT IX.

**I**gitur audientes tres amici Job omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo: Eliphaz Themanites, Baldad Sabites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Quia ex condicto ad afflictum consolationem veniunt, & inter se & erga percussum quantæ charitatis fuerint, demonstratur. Quamvis & per hoc, quod Scriptura eos tanti viri amicos fuisse testatur, quia boni studij & rectæ fuerint intentionis ostenditur. Sed tamen hæc ipsa illorum intentio, eis ad verba prorumpentibus, ante districti iudicis oculos, suborta indiscretionem, fuscatur. Sequitur:

*Quis ordo & modus in consolatione tenendus sit.*

## CAPUT X.

**C**umque eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum: & exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum in celum. Quia percussus speciem plaga mutauerat, amici plorantes exclamant, vestes scindunt, capita pulvere aspergunt: ut cum mutatum eum, ad quem venerant, cernerent, ipsam etiam consolatorum speciem spontaneus dolor immutaret. Ordo quippe consolationis est, ut cum volumus afflictum quempiam à mœrore suspendere, studeamus prius mœrore eius luctui concordare. Dolentem namque non potest consolari, qui non concordat ejus dolori: quia eo ipso, quo à mœrore afflictione discrepat, minus ab illo recipitur, à quo mentis qualitate separatur. Emolliri itaque prius debet animus, ut afflictio congruat, congruens inhaereat, inherens trahat. Neque enim ferum ferro conjungitur, si non utrumque exustione ignis liquetur: & durum molli non adheret, nisi prius ejus duritia temperata mollescat, ut quasi hoc ipsum fiat, quod curatur ut teneat. Sic nec jacentes erigimus, nisi à rigore nostri status inclinemur: quia dum rectitudo stantis à jacenti situ discrepat, eum, cui condescendere negligit, nequaquam leuat. Amici igitur beati Job ut afflictum à dolore suspenderent, curauerunt necessariò simul dolere: & cum vulneratum illius corpus viderent, studuerunt ipsi vestes scindere: & cum immutatum conspicerent, studuerunt pulvere capita fœdare: quatenus afflictus vir tantò facilius eorum verba reciperet, quantò in eis suum aliquid de afflictione cognouisset. Sed inter hæc sciendum est, quia is qui afflictum consolari desiderat, mensuram necesse est dolori, quem suscipit, ponat: ne non solum dolentem non mulceat, sed immoderate dolens, afflictum animum ad pondus desperationis premat. Sic enim dolor noster mœrore dolori jungendus est, ut per temperamentum subleuet, non autem per augmentum grauet. Unde fortasse colligendum est, quod amici beati Job plusquam necesse fuerat, in consolatione dolerent, qui dum percussionem cernunt, sed percussam mentem nesciunt, ita in immensum luctum versi sunt, ac si percussus vir tantæ fortitudinis, in plaga corporis etiam à corde cecidisset. Sequitur: *[Sed: runique cum eo in terra septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem ejus esse vehementem.]* Utrum continuis septem diebus & septem noctibus cum afflictio Job sederint, an certè diebus septem, & noctibus totidem instantià ei cre-

brae visitationis adhaerint, ignoramus. Sæpe enim rem quamlibet tot diebus agere dicimur, quamvis non eisdem diebus ad eam continuè vacemus. Sæpe verò Scriptura sacra sic totum pro parte, sicut pro toto partem ponere consuevit. Pro toto enim partem loquitur, sicut Jacob familiam describens dicit: *Intrauit Jacob in Aegyptum cum animabus septuaginta*, Quæ nimirum cum animas memorat, constat quia intrantium & corpora comprehendit. Rursum totum pro parte insinuat, sicut ad monumentum Maria queritur, dicens: *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum*. Solum quippe corpus Domini quaesitura venerat, & quasi totum simul Dominum sublatum deplorat. An ergo & hoc in loco totum pro parte dicatur, incertum est. Sed tamen hoc, quod diu tacuerunt, & quandoque loquendo reprobati sunt, neglectè prætereundum non est. Sunt namque nonnulli, qui & loqui præcipitanter incipiunt, & effrenatè incipiunt. Et sunt nonnulli, qui tardè quidem loqui inchoant: sed semel inchoantes, habere modum elocutionis ignorant. Amici igitur beati Job dolorem videntes, diu tacuerunt: sed tardè inchoantes, indiscretè locuti sunt, quia parcere dolenti noluerunt, Tenuerunt linguam, ne propere inciperet: sed incipientem semel nequaquam moderati sunt, ne se ex consolatione usque ad contumelias effrenaret. Et bona quidem intentione ad consolandum venerant: sed hoc, quod pia mens Deo mundum obtulit, locutio præcipitata vitiauit. Scriptum quippe est: *Si rectè offeras, non rectè autem divides*, *peccasti*. Rectè namque offertur, cum recta intentione quid agitur. Sed rectè non dividitur, si non hoc, quod piè agitur, etiam subtiliter discernatur. Oblata enim rectè dividere, est qualibet bona nostra studia sollicitè discernendo pensare. Quod nimirum qui agere dissimulat, etiam rectè offerens peccat. Sæpe ergo & quod bono studio gerimus, dum discernere cautè negligimus, quo iudicetur sine nescimus: & nonnumquam hoc fit reatus criminis, quod putatur causa virtutis.

**Q**uisquis autem amicorum beati Job facta considerat, quam pia ad eum intentione venerint, non ignorat. Pensemus enim cujus charitatis fuerit, ad afflictum concorditer conuenisse: quanta virtus longanimitatis extiterit, septem diebus & septem noctibus cum afflictio tacuisse: quæ humilitas, in terra tot diebus ac noctibus sedisse: quæ compassio pulvere capita conspersisse. Sed tamen inchoantes loqui, unde se aestimauerunt præmium mercedis acquirere, inde eos contigit reatum reprehensionis inuenire: quia incautus sæpe ad peccati finem vertitur, etiam quod pro solo studio mercedis inchoatur. Ecce præcipiti locutione perdiderunt bonum, quod tanto labore mercati sunt. Et nisi divina gratia offerre eos sacrificium pro suo reatu præcepisset; inde à Domino justè puniri poterant, unde se placere Domino mirabiliter estimabant: inde iudici displicent, unde sibi quasi pro defensione iudicis per effrenationem placent. Idcirco verò hæc dicimus, ut ad memoriam legentium reuocemus, quatenus sollicitè quisque consideret, ea quæ malo voto perpetrantur, quanta Dominus animaduersione puniat, si inchoata bono studio, sed negligentia indiscretionis admixta, tanta inuestione castigat. Quis non mercedis causam perregisse se crederet, si aut in defensione Dei quidquam contra proximum diceret: aut certè septem diebus ac noctibus pro proximi dolore tacuisset? Et tamen amici beati Job hæc agentes, ad culpam laborando pervenerunt: quia consolationis quidem bonum, quod agebant, noverant; sed cum quantæ agendum esset discretionis libra, nesciebant. Unde necesse est, ut non solum intueamur quod agimus, sed etiam cum quantæ discretionem peragimus. Primum quidem, ne mala quoquo modo, postmodum verò ne



bona incautè faciamus. Ad quæ nimirum bona sollicitè peragenda Propheta nos admonet, dicens: *Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter.* Ad hoc verò ista proficiunt, ut ante terribilis iudicis subtile atque incomprehensibile examen non solum mala quæ commisimus, sed ipsa etiam, si qua in nobis sunt bene gesta, timeamus; quia sæpe in ejus iusto iudicio culpa esse deprehenditur, quod virtus ante iudicium putatur: & unde expectatur pia merces operis, inde supplicium iustæ sequitur ultionis.

*Quod hæc, quæ supra dicta sunt in persona Iob, allegorice referuntur ad Christum.*

## CAPUT XI.

**H**ÆC juxta historiam breviter tractata percurramus: nunc ad allegoriarum mysterium verba vertamus. Sed quia in exordio huius operis dum de unitate capitis & corporis tractarem, sollicita intentione præmissimus quanta in eis fit compago charitatis; quia nimirum & Dominus multa adhuc per corpus, quod nos sumus, patitur, & jam ejus corpus, id est Ecclesia, de suo capite, videlicet Domino, in celo gloriatur: ita nunc passiones exprimi ejusdem capitis debent, ut ostendatur quàm multa etiam in corpore suo sustinet. Si enim caput nostrum tormenta nostra non tangerent, nequaquam pro afflictis membris persecutori suo etiam de celo clamaret: *Saule, saule, quid me persequeris?* Si cruciatus nostri, ejus pœnæ non essent, conversus afflictusque Paulus minime diceret: *Suppleo ea, quæ de sunt passionum Christi, in carne mea.* Et tamen resurrectione jam sui capitis exaltatus dicit: *Qui nos contempsit, & confedere fecit in caelestibus.* Nempe hunc in terra persecutionum tormenta constrinxerant: sed pœnarum suarum ponderibus pressus, ecce jam per gloriam capitis in celo residebat. Quia ergo in omnibus unitum caput & corpus novimus, sic à persecutione capitis incipimus, ut subsequenter tamen ad corporis flagella veniamus. Sed hoc, quod quadam die satan coram Domino astitisse dicitur: quod unde veniat, præcontatur: quod beatus Iob magnis conditoris præconiis præfertur: quia iam sæpe discussimus, replicare devitamus. Si enim diu mens rebus discussis involvitur, pervenire ad indiscussa præpeditur. Ibi ergo allegoria nunc initium ponimus, ubi post verba sæpe repetita, adjunctum novi aliquid scimus. Itaque ait: [*Commovisti me adversus eum, ut affligerem illum frustra.*] Si beatus Iob Redemptoris nostri in passione polita speciem tenet, quomodo à Domino ad satan dicitur: *Commovisti me adversus eum?* Mediator quippe Dei & hominum, homo Christus Jesus, ut culpas nostras transgressionis extingueret, venit mortalitatis nostræ flagella tolerare. Sed quia unius cum Patre ejusdemque naturæ est, quomodo per satan motum se adversus eum Pater asserit, cum constet quod Patris Filiique concordiam nulla potestatis inæqualitas, nulla voluntatis diversitas interrumpat? Sed tamen idem, qui Patri est æqualis per divinitatem, venit propter nos ad flagella per carnem. Quæ nimirum flagella non fulciperet, nisi formam damnati hominis redimendo sumpsisset. Et nisi primus homo delinqueret, secundus ad passionis probra minime veniret. Cum ergo primus homo per satan à Domino motus est, tunc est Dominus in homine secundo commotus. Satan itaque ad hujus afflictionem Dominum tunc commovit, quando in paradiso primum hominem à justitiæ culmine, inobedientiæ culpa prostravit. Nisi enim Adam primum per voluntarium vitium in animæ mortem traxisset, Adam secundus sine vitio in carnis mortem voluntariam non veniret. Bene ergo etiam de Redemptore nostro dicitur:

**A** [*Commovisti me adversus eum, ut affligerem illum frustra.*] Ac si apertius dicatur: Dum ille non suus, sed illius causam moritur; tunc me in hujus afflictionem commovisti, cum illum à me callida persuasionem traxisti. De quo & bene additur, [*frustra.*] Frustra quippe afflictus est, qui & culpæ ultione pressus est, & culpæ contagio inquinatus non est. Frustra afflictus est, qui in carne natus, propria admittit non habuit, & tamen pœnam carnalium sine culpa suscepit. Hinc est enim quod per Prophetam loquitur, dicens: *Quæ non rapui, tunc exolvebam.* <sup>Psal. 68.</sup> Alius namque ad paradysum conditus, divinæ potentia similitudinem superbè rapere voluit: sed tamen culpam hujus superbiæ sine culpa mediator exolvit. Hinc est, quod Patri quidam sapiens dicit: *Cum sis justus, justè omnia disponis: eum quoque, qui non debet puniri, condemnas.* Sed pensandum est, quomodo justus sit, & omnia justè disponat, si eum, qui non debet puniri, condemnat. Mediator etenim non ster puniri pro semetipso non debuit: quia nullum culpæ contagium perpetravit. Sed si ipse indebitam mortem non susciperet, numquam nos à debita morte liberaret. Pater ergo cum justus sit, justum puniens, omnia justè disponit: quia per hoc cuncta justificat, quod eum qui sine peccato est, pro peccatoribus damnat: ut eò electa omnia ad culmen justitiæ surgerent, quod is, qui est super omnia, damna injustitiæ nostræ sustineret. Quod ergo illic damnatus cum non debeat, dicitur; hoc hic afflictus frustra memoratur. Qui tamen juxta semetipsum frustra afflictus est, juxta verò nostræ acta non frustra. Rubigo quippe peccati purgari non potuit, nisi igne tormenti. Venit itaque sine vitio, qui se subiceret sponte tormento: ut debita nostræ iniquitati supplicia, eò reos suos justè amitterent, quod hunc à semetipsis liberum injustè tenuissent. Frustra ergo & non frustra afflictus est: quia in se quidem admittit non habuit, sed proprio cruore reatus nostri maculam terit. [*Respondens satan ait: Pelle pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua: alioquin mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.*] Malignus spiritus cum Redemptorem nostrum miraculis coruscare conspicit, clamat: *Scimus quod sis sanctus Dei.* Qui hæc dicens, cognoscendo Dei Filium pertimescit: sed tamen vim superne pietatis ignorans, dum passibilem considerat, hominem purum putat. Multos autem sub sanctitatis specie in pastoralis positos loco didicerat, qui alieni valde à visceribus charitatis, pro minimo aliena damna pensabant. Hunc ergo quasi ex aliis colligens, quia subtractis multis, superari non vidit: usque ad ejus carnem per tactum passionis sic exarsit ut diceret: [*Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua: alioquin mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem.*] Ac si apertè dicat: Moveri ex his, quæ extra se sunt, negligit: sed tunc veraciter qui sit agnoscitur, si in seipso quod doleat, experiatur. Hæc per se satan cum fieri appetit, non verbis, sed desiderii dixit. Hæc per membra sua & verbis & desiderii intulit. Ipse quippe loquitur, cum juxta prophetæ vocem, ejus sequaces dicunt: *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium.* Lignum quippe in panem mittere, est configendo ejus corpori stipitem crucis adhiberi: & vitam illius de terra viventium eradere se posse æstimant, quem dum mortalem conspiciunt, finiri morte suspiciunt. [*Dixit autem Dominus ad satan: Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva.*] Conditor omnium satanæ manui traditum quis vel desipiens credat? sed tamen edoctus veritate, quis nesciat quod ejusdem satanæ membra sunt omnes, qui ei perversè vivendo junguntur? Membrum quippe



pe ejus Pilatus extitit, qui usque ad mortis extre-  
ma, venientem in redemptionem nostram Domi-  
num non cognovit. Corpus autem ejus principes  
sacerdotum extiterunt, qui Redemptorem mundi  
à mundo repellere, usque ad crucem persequendo,  
conati sunt. Cùm ergo se pro nostra redemptione  
Dominus membrorum satanæ manibus tradidit:  
quid aliud quàm ejusdem satanæ manum in se sæ-  
vire permittit, ut unde ipse exterius occumberet,  
inde nos exterius interiusque liberaret? Si igitur  
satanæ manus, ejus potestas accipitur: ejus manum  
juxta carnem pertulit, cujus potestatem corporis  
usque ad spina, colaphos, flagella, crucem, lan-  
ceamque toleravit. Vnde & Pilato, ejus videlicet  
corporis membro, ad passionem veniens dicit:  
10. 19. *Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi data  
esset de super.* Sed tamen hanc potestatem, qua  
contra se ei extrinsecus dederat, suis servire lucris  
intrinsecus compellebat. Pilatus enim vel satan, qui  
ejusdem Pilati caput extiterat, sub potestate illius,  
super quem potestatem acceperat, tenebatur: quia  
& superior ipse disposuerat hoc, quod inferius ac-  
cedens à persecutore tolerabat: ut cùm ex mala  
mente infidelium surgeret, utilitati tamen electo-  
rum omnium, ipsa quoque crudelitas deserviret.  
Piè igitur disponebat intus, quod semetipsum pati  
nequiter permittebat foris. Hinc est enim, quòd de  
10. 13. *illo in cœna dicitur: Sciens Iesus, quia omnia de-  
dit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad  
Deum vadit: surgit à cœna, & ponit vestimenta sua.*  
Ecce in manus persequentium iturus, sciebat quòd  
in manu sua ipsos etiam persecutores acceperat.  
Qui enim omnia accepisse se noverat, constat quia  
& ipsos, à quibus tenebatur, tenebat: ut ipse in se  
ad usum pietatis intorqueret, quidquid eorum con-  
tra se malitia permittit sæviret. Dicitur ergo ei;  
[ *Ecce in manu tua est;* ] quia ad feriendam carnem  
sævians licentiam accepit, sed potestati illius ne-  
23. *sciens deservivit.* Animam verò illius servare præ-  
cipitur, non quòd hanc tentare prohibeatur, sed  
quòd hanc superare non posse, convincitur. Ne-  
que enim sicut nos, qui puri homines sumus, ir-  
ruente sæpe tentatione concutimur: ita Redem-  
ptoris nostri anima tentationis est necessitate tur-  
34. *bata.* Hostis namque noster, etsi in excelsum mon-  
tem, eum quem permittit assumpsit, duxit; si da-  
turum se ei regna mundi perhibuit, si quasi in pa-  
nes vertendos lapides ostendit: mentem tamen  
mediatoris Dei & hominum tentatione quassare  
non valuit. Sic enim dignatus est hæc exterius  
cuncta suscipere, ut tamen mens ejus interius divi-  
nitati suæ inhærens inconcussa permaneret. Qui &  
si quando turbatus spiritu infremuisse dicitur: ipse  
tamen divinitus disponebat, quantum ipse huma-  
nitus turbaretur, immutabiliter omnibus præsi-  
dens, & semetipsum mutabilem in satisfactione  
infirmis ostendens. Quietus ergo in semetipso  
manens, disposuit quidquid pro ostendenda huma-  
nitate, quam susceperat; etiam turbulentus fecit.  
Quia verò cùm rectè diligimus, nihil in rebus con-  
ditis animâ nostrâ charius amamus; & sicut ani-  
mam nostram eos diligere dicimus, quibus amoris  
nostri exprimere pondus conamur: potest per ejus  
animam electorum vita signari. Et cùm satan ad  
ferendam Redemptoris carnem permittitur, ab  
anima separatur: quia cùm corpus ejus ad passio-  
nem accipit, electos ejus à jure suæ potestatis amit-  
tit. Cumque illius caro per crucem moritur, ho-  
rum mens contra tentamenta solidatur. Dicitur  
ergo: [ *Ecce in manu tua est, verum tamen animam  
illius serva.* ] Ac si apertè audiat: Licentiam con-  
tra corpus ejus accipit, & ab electis illius, quos  
apud se ante sæcula præsciens possidet, jus pravæ  
dominationis perdit. [ *Egressus igitur satan à facie  
Domini, percussit Iob ulcere pessimo, à planta pedis us-*

A *que ad verticem.*] Nullus in hanc vitam electorum  
venit, qui non hujus hostis adversa sustinuit. Mem-  
bra autem nostri Redemptoris extiterunt, etiam  
qui ab ipso mundi exordio, dum piè vivunt, cru-  
delia passi sunt. An non hujus membrum Abel se  
esse perhibuit, qui in se ejus mortem, de quo scri-  
ptum est: *Sicut agnus coram tondente se obtulisset, 1. Sai. 53.*  
& non aperiet os suum: non solum placens in sa-  
crificio, sed etiam moriens tacendo signavit? Ab  
ipso itaque mundi exordio Redemptoris nostri cor-  
pus expugnare satan conatus est. A planta ergo pe-  
dis usque ad verticem vulnus intulit, quia prius  
ab hominibus inchoans, usque ad ipsum caput Ec-  
clesiæ sæviendo pervenit. Bene autem dicitur: homini-  
bus. [ *Testa saniem radabat.* ] Quid enim aliud in ma-  
nu Domini testa est, nisi caro ex nostrâ substantiæ  
luto sumpta? Etenim testa igne solidatur. Caro  
autem Domini ed ex passione sua robustior extitit,  
quòd per infirmitatem moriens, à morte sine in-  
firmitate surrexit. Vnde rectè etiam per Prophe-  
tam dicitur: *Exaruit velut testa virtus mea.* Sicut  
testa enim ejus virtus exaruit, qui susceptæ carnis  
infirmis infirmitatem passionis suæ igne roboravit.  
Quid verò per saniem, nisi peccatum debet intelligi? Per  
carnem quippe & sanguinem solent carnis peccata  
designari. Vnde per Psalmistam dicitur: *Libera me  
de sanguinibus.* Sanies itaque putredo sanguinis est.  
Quid ergo accipimus per saniem, nisi carnis peccata  
ex longa vetustate pejora? Vulnus itaque in sanie  
vertitur, cùm neglecta culpâ usu deterius gravatur.  
Mediator itaque Dei & hominum homo Christus  
Jesum corpus suum manibus persequentium tra-  
dens, saniem testâ rasit: quia peccatum carne de-  
levit. *Veni enim, sicut scriptum est, in similitudi-  
nem carnis peccati: ut de peccato damnaretur pecca-  
tum.* Dumque hosti objicit innocentiam carnis  
suæ, extersit contagia carnis nostræ: & ex qua nos  
captivos inimicus tenuit, per illum nos liberos ex-  
piavit: quia quam nos instrumentum fecimus culpæ,  
hæc nobis per mediatorem versa est in arma jus-  
titie. Testâ ergo sanies raditur, cùm carne culpa  
superatur. Bene autem subditur: [ *Sedens in ster-  
quilinio.* ] Non in foro, in quo lex perstrepat: non  
in edificio, quod se culmine in alta sustollit, sed in  
sterquilinio residet; quia videlicet Redemptor hu-  
mani generis ad carnem veniens, attestante Paulo,  
infirmis mundi elegit, ut confunderet fortia. An non  
quasi ruentibus edificiis in sterquilinio residet, qui  
relictis Judæis superbientibus, in ea, quam dudum  
abjecerat, Gentilitate requiescit? Extra habitacu-  
lum reperitur in vulnere, qui in eo quòd Judæam  
adversantem pertulit, passionis dolorem à gente  
propria despectus sensit; Joanne attestante, qui  
ait: *In propria venit, & sui eum non receperunt.*  
Sed quomodo sedens in sterquilinio conquiescat,  
hæc eadem de semetipsa Veritas dicat: Ait enim;  
*Gaudium erit in celo super uno peccatore penitentiam  
agentem, quàm super nonaginta novem iustis, qui non in-  
digent penitentia.* Ecce dolens in sterquilinio se-  
det, qui post perpetratas culpas libenter corda pen-  
itentium possidet. An non quasi quoddam ster-  
quilinum sunt corda penitentium, qui dum ma-  
la sua stendo considerant, quasi ante se stercora, sese  
abjiciendo coacervant? Percussus ergo Job mon-  
tem non petiit, sed in sterquilinio sedit: quia ad  
passionem Redemptoris veniens, alta superborum  
corda deseruit, & in afflictorum cordium humili-  
tate requievit. Quod tamen de se & prius quàm in-  
carnaretur, indicavit, cùm per Prophetam dixit:  
*Ad quem respiciam, nisi ad humilem & quietum, & 1. Sai. 66.*  
*irremotum sermones meos?* Quis verò consideret, is  
qui tot pia hominibus intulit, quot ab hominibus  
perverfa toleravit? Quis consideret, quanta nunc  
usque tolerat, etiam quàm de celo super corda fide-  
lium regnat? Ipse quippe quotidie patitur omne,  
quod



quod à reprobis ejus electi lacerantur. Et quamvis caput hujus corporis, quod videlicet nos fumus, jam sese super omnia liberum erexerit, reproborum tamen vulnera adhuc per suum, quod deorsum retinet, corpus sentit. Sed quid ista de infidelibus dicimus, cum in ipsa quoque Ecclesia multos carnalium, pravus moribus contra Redemptoris vitam pugnare videamus? Sunt namque nonnulli, qui hunc, quia gladius non possunt, perverfis actibus insequuntur: quia dum sibi in Ecclesia vident desesse quod ambiunt, hostes bonorum sunt: & non solum prava semetipsos actioni inferunt, sed etiam justorum rectitudinem inflectere ad perversa moliantur. Aeterna quippe intueri negligunt, & appetitui temporalium mentis pusillanimitate succumbunt: tantoque ab aeternis altius corrumpunt, quanto bona temporalia esse quasi sola suspicantur. His justorum simplicitas displicet, & cum occasionem perturbationis inveniunt, suam eos arripere dupliciter suadent. Unde hoc quoque congruit apte quod subditur: [ *Dixit autem illi uxor sua: Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* ] Cujus enim speciem male suadens mulier tenuit, nisi quorumlibet carnalium in Ecclesiae sinu positorum, qui quod verbis professæ fidei intus sunt, eò bonos incorrectis suis moribus pejor premunt. Nam minus fortasse nocuissent, si non eos sancta Ecclesia introitus admittens usque ad fidei cubile reciperet, quos dum per professam fidem recipit, sibi proculdubio pene inevitabiles facit. Hinc est, quod premente turba, una Redemptorem nostrum mulier tetigit: unde & idem Redemptor noster protinus dicit: *Quis me tetigit?* Cui cum discipuli responderent: *Turba te premunt & affligunt, & tu dicis: Quis me tetigit?* illico adjunxit: *Tetigit me aliquis, nam & ego novi virtutem de me exisse.* Multi ergo Dominum comprimunt, & una tangit: quia carnales quique in Ecclesia cum premunt, à quo longè sunt: & soli tangunt, qui huic veraciter humiles adjunguntur. Turba igitur premit: quia multitudo carnalium quod intus admittitur, eò gravius toleratur. Premit, & non tangit: quia & importuna est per presentiam, & absens per vitam. Nonnumquam enim pravus nos sermonibus, nonnumquam verò solis perverfis moribus insequuntur. Suadent namque aliquando quæ tenent: aliquando verò et si non suadent, præbere tamen iniquitatis exempla non cessant. Qui igitur ad mala nos vel verbis, vel exemplis illiciunt, profectò persecutores nostri sunt, à quibus tentationum certamina sumimus, quæ saltem in corde vincamus. Sciendum verò est, quia carnales in Ecclesia aliquando metu, aliquando verò audacia suadere perversa contendunt: cumque ipsi vel pusillanimitate, vel elatione deficient, hæc justorum cordibus infundere, quasi ex dilectione moliantur. Carnalem videlicet mentem Petrus ante Redemptoris mortem resurrectionemque retinebat: carnali mente Sarvia filius duci suo David adjunctus inhaerens: sed tamen unus formidine, alter elatione peccabat. Ille quippe mortem magistrifri audiens dixit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc:* hic verò injurias ducis non ferens, ait: *Numquid pro his verbis non occideret Semei, qui maledixit christo Domini?* Sed illi mox dicitur: *Redi post me satana:* & hic cum germano audivit protinus: *Quid mihi & vobis filii Sarvia, cur efficiamini mihi hodie in satan?* Male itaque suadentes angeli, apostate appellatione censentur, qui verbis blandis ad illicita quasi diligentes trahunt. Valde verò deteriores sunt, qui huic culpæ non formidine, sed elatione succumbunt: quorum specialiter beati Job uxor figuram tenuit, quæ marito suadere superba tentavit, dicens: [ *Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* ] Simplicitatem in

A marito redarguit, quod transitoria cuncta despiciens, puro corde sola aeterna concupiscit. Ac si aperte dicat: *Quid simpliciter aeterna appetis, & sub malis presentibus æquanimitèr ingemisces?* Excedens, aeterna despice, & mala presentia vel moriens evade. Sed electi quique cum prava intus à carnalibus tolerant, quantam in se formam rectitudinis ostendant, discamus ex verbis vulnerati & incolumis, sedentis & erecti, qui ait: [ *Locuta es quasi una ex scultis mulieribus: Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* ] Sancti viri tribulationum bello deprehensi, cum uno eodemque tempore alios ferientes, alios suadentes ferunt, illis opponunt scutum patientiæ, istis jacula intorquent doctrinæ: sicque ad utrumque pugnandi modum mira virtutis arte se erigunt; quatenus & perversa intus sapienter doceant, & foris fortiter adversa contemnant: hos docentes corrigant, illos tolerantes premant. Insurgentes namque hostes patiando despiciunt, infirmantes verò cives compatiendo ad salutem reducant: illis resistunt, ne & alios subtrahant; istis medentur, ne vitam rectitudinis funditus perdant.

Quod ad exemplum Apostoli Pauli, justis positi in dolore tribulationis propriae, non deserunt curam utilitatis alienae.

## CAPUT XII.

C VIDEAMUS castrorum Dei militem contra utraque præliantem. Ait enim: *Foris pugna intus timores.* Enumerat bella, quæ extrinsecus tolerat, dicens: *Periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus.* In hoc autem bello, quæ contra adversarium spicula intorquet, adjungit: *In labore & arumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate.* Sed inter tot certamina deprehensus dicat, quanto vigiliarum munimine etiam castra custodiat. Nam protinus adjungit: *Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Ecce in se bella fortiter suscepit, & tuendis se proximis misericorditer impendit. Narrat mala quæ patitur, subjungit bona quæ impartitur. Pensemus ergo quæ laboris sit, uno eodemque tempore foris adversa tolerare, & intus infirma protegere. Foris pugnas patitur, quia verberibus scinditur, catenis ligatur: intus metum tolerat, quia passionem suam non sibi, sed discipulis obesse formidat. Unde & eisdem scribit, dicens: *Nemo moveatur in tribulationibus istis. Ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus.* Aliorum quippe casus in propria passione metuatur, ne dum discipuli ipsum afflictum pro fide verberibus agnoscerent, fideles se profiteri recusarent. O immensa charitatis viscera: despiciat quod ipse patitur, & curat, ne quid prava persuasionis discipuli in corde patiantur. Ipse enim in se contemnit vulnera corporis, & in aliis vulnera medetur cordis. Habent quippe hoc justi proprium, ut in dolore positi tribulationis suæ, curam non deserant utilitatis alienæ: & cum de se adversa patientes dolent, aliis necessaria docentes prævident: & quasi percussis quidam magni medici ægrotant. Ipsi tolerant scissuras vulneris, & aliis proferunt medicamenta sanitatis. Valde autem minoris laboris est, aut docere cum nihil toleras; aut tolerare, cum nihil doces. Unde sancti viri ad utraque se solerter extendunt; & quum tribulationibus fortasse feriuntur, sic exteriora bella suscipiunt, ut sollicitè cogitent, ne proximorum interiora lacerentur. Sic

Mar. 8.  
d  
Mat. 16.  
d  
1. Reg.  
16. b  
ex veter.  
vi edit.

Absti à te Domine, non erit tibi hoc: hic verò injurias ducis non ferens, ait: Numquid pro his verbis non occideret Semei, qui maledixit christo Domini? Sed illi mox dicitur: Redi post me satana: & hic cum germano audivit protinus: Quid mihi & vobis filii Sarvia, cur efficiamini mihi hodie in satan? Male itaque suadentes angeli, apostate appellatione censentur, qui verbis blandis ad illicita quasi diligentes trahunt. Valde verò deteriores sunt, qui huic culpæ non formidine, sed elatione succumbunt: quorum specialiter beati Job uxor figuram tenuit, quæ marito suadere superba tentavit, dicens: [ *Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* ] Simplicitatem in

S. Greg. Tom. I.



sancti viri fortes in acie adstant; & illinc jaculis adversantia pectora feriunt; hinc scuto postposito debiles tuentur: atque ita utrobique velocitate circumspeditionis invigilant: quatenus & ante se audaces confodiant, & post se trepidos à vulnere defendant. Quia igitur sancti viri sic sciunt foris adversa tolerare, ut intus etiam noverint perverfa corrigere, dicatur rectè: [ *Locuta es quasi una ex stultis mulieribus.* ] Quia enim electis dicitur: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum*: mentes carnalium, quæ fluxa Deo intentione deserviunt, non immerito mulieres vocantur. [ *Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* ] Ac si dicat: Si ad bona aeterna tendimus, quid mirum si temporalia mala sufferamus? Hæc autem bona sollicitè Paulus inspexerat, quando illata æquanimiter mala tolerabat, dicens: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* [ *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis.* ] Sancti viri cum persecutionem intus forisq; patiuntur, non solum in Dei injuriis minimè excedunt, sed neque contra ipsos adversarios contumeliosa verba jaculantur. Quod dux bonorum rectè Petrus admonet, dicens: *Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus.* Maledicus enim patitur, qui passionis suæ tempore in sui saltem injuriâ persecutoris effrenatur. Sed quia Redemptoris corpus, sancta nimirum Ecclesia, ita pondus dolorum portat, ut humilitatis modum per verba non transcat: rectè de hoc dolente dicitur: *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis; neque stultum aliquid contra Deum locutus est.* [ *Igitur audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo: Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites.* ] In præfatione huius operis diximus, quia amici beati Job etiam bona intentione ad eum convenerint, hæreticorum tamen idcirco speciem tenent: quia ad culpam indifferetè loquendo dilabuntur. Unde & illis ab eodem beato Job dicitur: *Disputare cum Deo cupio, prius vos offendens fabricatores mendacij, & perversorum cultores dogmatum.*

*Quod locus sanctorum sit humilitas, sicut e contra reproborum locus superbia.*

#### CAPUT XIII.

**S**ANCTA itaque Ecclesia omni hoc tempore peregrinationis suæ in afflictione constituta, dum vulnera sustinet, dum membrorum suorum lapsus doler: insuper alios etiam sub Christi nomine tolerat hostes Christi. Ad augmentum namque doloris ejus, etiam hæretici in contentionem conveniunt, eamque quasi quibusdam jaculis, irrationalibus verbis transigunt. Bene autem dicitur: [ *Venerunt de loco suo.* ] Hæreticorum quippe locus ipsa superbia est: quia nisi prius in corde intumescerent, ad prævæ assertionis certamina non venirent. Ita namque malorum locus est superbia, sicut est e contra, humilitas locus bonorum. De quo loco per Salomonem dicitur: *Si spiritus pavorem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* Ac si apertè dicat: Si tentatoris spiritum contra te in aliquo prævalere consideras, humilitatem penitentia non derelinquas. Qui quia locum nostrum humilitatem penitentia dixerit, verbis sequentibus ostendit, dicens: *Quia curatio cessare faciet peccata maxima.* Quod enim est aliud humilitas lamenti, nisi medicina peccati? Hæretici igitur de loco suo veniunt: quia contra sanctam Ecclesiam ex superbia moventur: quorum perverfa quoque actio ex ipsa suorum nominum interpreta-

tionem colligitur. Dicuntur enim, Eliphaz, Baldad, Sophar: & sicut superius diximus, Eliphaz interpretatus est, Dei contemptus. Nisi enim Deum contemnerent, nequaquam de eo perverfa sentirent. Baldad autem interpretatur, verus sola. Dum enim verè intus refugiunt, & perverfo studio esse victores quarunt, novæ vitæ conversationem negligunt: & ex sola veritate est, quod intendunt. Sophar verò speculam dissipans interpretatur. Hi etenim, qui in sancta Ecclesia siti sunt, Redemptoris sui mytheria fide vera humiliter contemplantur. Sed dum hæretici cum falsis allegationibus veniunt, speculam dissipant: quia eorum mentes, quos ad se trahunt, ab intentione rectæ contemplationis inclinant.

*Quod tres amici Iob hæreticorum typum habeant, & ex ipsorum nominibus eorum actio & intentio exprimitur.*

#### CAPUT XIV.

**B**ENE autem loca, de quibus veniunt, congrua hæreticorum actibus describuntur. Dicuntur enim Themanites, Suhites, Naamathites. Thema namque interpretatur, Auster: Suhi, loquens; Naama, decor. Austrum autem ventum calidum esse quis nesciat? Hæretici igitur, quia ardentius appetunt sapere, quasi plusquam necesse est, student calere. Desidia quippe torpori frigoris: & rursus inquietudo immoderata curiositatis, intemperato concordat calori. Quia ergo amplius quam debent, calorem sapientia percipere appetunt, ab Austro-venire referuntur. Ab hoc calore immoderate sapientia, vendens fidelium Paulus temperare curaverat, cum dicebat: *Non plus sapere, quam oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem.* Hinc est quod David valles salinarum percussit: quia videlicet Redemptor noster suæ distinctionis examine in his, qui de illo prava sentiunt, stultitiam immoderati saporis extinguit. Suhi autem dicitur loquens. Calorem quippe non ut bene vivant, sed ut elatè loquantur, habere desiderant. A Thema igitur & Suhi, id est, à calore & loquacitate venire referuntur: quia per hoc, quod scripturarum lectioni se studiosos exhibent, solius verbis loquacitatis, non autem visceribus charitatis calent. Naama verò interpretatur, decor. Quia enim docti non esse, sed videri appetunt, ex eruditionis verbis speciem bene viventium sumunt: & per calorem loquacitatis in se imaginem ostendunt decoris, ut eò per decorem linguæ perverfa facile persuadeant, quò fœditatem vitæ sensus calliditate occultant. Sed neque ipsa locorum nomina, inordinata sunt narratione distincta. Prius enim Thema, postmodum Suhi, ac deinde Naama ponitur: quia prius illos inordinatus calor accendit in cordes deinde nitor loquacitatis erigit, & tunc demum decoros hominibus hypocrisis ostendit. [ *Condixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.* ] Conducunt enim sibi hæretici, quando prava quædam contra Ecclesiam concorditer sentiunt: & in quibus à veritate discrepant, sibi in falsitate concordant. Omnes autem, qui nos de aternitate erudunt, quid aliud faciunt, nisi in peregrinationis nostræ nos afflictione consolantur? Hæretici autem, quia sanctam Ecclesiam suam docere desiderant, ad eam quasi consolantes appropinquant. Nec mirum, quod qui adversantium formam exprimunt, nominantur amici, cum ipsi quoque traditori dicitur: *Amice, ad quid venisti?* Et dives, qui in inferni igne exurit, ab Abraham filius vocatur: quia etsi per nos mali corrigi negligunt; dignum tamen est, ut à nobis non ex sua nequitia, sed ex nostra benignitate amici nominentur.



[Cumque eleuassent procul oculos suos non cognoverunt eum.] Hæretici quique cum sanctæ Ecclesiæ facta considerant, oculos levant: quia ipsi videlicet in imo positi sunt, & cum ejus opera respiciunt, in alto sunt sita quæ cernunt, sed tamen hanc in dolore positam non agnoscunt. Ipsa quippe appetit hic mala recipere, ut possit ad æternæ remunerationis præmium purgata pervenire. Plerumque prospera metuit, & disciplinâ eruditionis hilarescit. Hæretici igitur, quia pro magno præsentia appetunt, eam in vulneribus positam non cognoscunt. Hoc namque quod in illa cernunt, in suorum cordium cognitione non relegunt. Cum ergo hæc & aduersitatibus proficit, ipsi suo stupori inhaerent: quia per experimentum ignorant, quæ vident. **B** [Scissisque vestibus, sparserunt pulverem super caput suum in calum.] Sicut vestimenta Ecclesiæ cunctos fideles accipimus: unde & per Prophetam dicitur: *Omnibus his velut ornamento vestieris*: ita hæreticorum vestes, sunt omnes qui eis concorditer inhaerentes, illorum erroribus involvuntur. Habent verò hæretici hoc proprium, quòd in eo gradu, in quo de Ecclesia exeunt, diu stare non possunt: sed ad deteriora quotidie ruunt, & sentiendo pejora, in multis se partibus scindunt, atque à semetipsis plerumque longius confusionis suæ altercatione dividuntur. Quia ergo hos, quos suæ perfidiæ adjungunt, adhuc in multa divisione dilaniant: dicitur rectè, quòd amici qui veniunt, vestes rumpant. Ruptis autem vestibus corpus ostenditur: quia sepe scissis sequaciibus, malitia eorum cogitationis aperitur, ut discordia dolos patefaciat, quos gravis prius concordia culpa clauderat. Pulverem vero in calum super capita spargunt. Quid verò per pulverem, nisi terrena intelligentia? Quid per caput, nisi hoc, quod principale nostrum est, mens videlicet, designatur? Quid per calum, nisi præceptum supernæ locutionis exprimitur? Pulverem ergo super caput in calum spargere, est seculari intellectu mentem corrumpere, & de verbis celestibus terrena sentire. Divina autem verba plus discunt plerumque, quam capiunt. Super capita igitur pulverem spargunt: quia in præceptis Dei per terrenam intelligentiam ultra suarum mentium vires enituntur.

*Quid sit, quòd amici Job septem diebus cum eo sedere in terra perhibentur.*

#### CAPUT XV.

**S**ederuntque cum eo in terra septem diebus & septem noctibus. In die quæ videmus, agnoscimus: in nocte autem, aut cæcitate nil gerimus, aut dubietate caligamus. Per diem itaque intelligentia, per noctem verò ignorantia designatur. Septenario autem numero summa universitatis exprimitur. Unde & non amplius, quam septem diebus omne hoc tempus transitorium consummatur. Quid est ergo, quòd amici Job confedere ei septem diebus & septem noctibus referuntur, nisi quòd hæretici, vel in his in quibus verum lumen intelligunt, vel in his, in quibus ignorantia tenebras pariuntur, quasi infirmanti sanctæ Ecclesiæ se condescendere simulant, eique sub blandimentorum specie dolos deceptionis parant? Et quamvis vel in his quæ intelligunt, vel in his quæ intelligere non possunt, elationis typo turgidi, magno se apud semetipsos æstimant: nonnumquam tamen se Ecclesiæ sanctæ specie tenus inclinant, & dum verba molliunt, virus infundunt. In terra ergo confedere, est aliquid de imagine humilitatis ostendere: ut dum humilia exhibent, persuadent superba quæ docent. Potest verò per terram ipsa etiam mediatoris incarnatio designari. Unde & ad Israel dicitur: *Altare de terra facietis mihi*. Altare enim de terra Domino facere, S. Greg. Tom. I.

**A** est in incarnationem mediatoris sperare. Tunc quippe à Deo munus nostrum accipitur, quando in hoc altari nostra humilitas, id est, super Dominicæ incarnationis fidem, posuerit quidquid operatur. In altari ergo de terra oblatum munus ponimus, si actus nostros Dominicæ incarnationis fide solidamus. Sed sunt nonnulli hæretici, qui factam mediatoris incarnationem non denegant: sed aut de divinitate aliter, quam est, æstimant; aut in ipsa à nobis incarnationis qualitate discordant. Qui ergo veram nobiscum incarnationem Redemptoris perhibent, quasi cum Job in terra pariter sedent. Septem verò diebus & septem noctibus in terra confedere describitur: quia vel in hoc quòd aliquid de plenitudine veritatis intelligunt, vel in hoc quòd suæ stultitiæ tenebris excæcantur, incarnationis mysterium negare non possunt. Cum beato ergo Job in terra sedere, est veram Redemptoris carnem cum sancta Ecclesia credere. Aliquando verò hæretici contra nos etiam supplicii sæviunt, aliquando nos solis verbis insequuntur: aliquando quietos lacessunt, aliquando, si nos tacentes videant, quiescunt: & mutis amici sunt, loquentibus adversantur. Unde quia beatus Job necdum ad illos aliquid differens dixerat, rectè subjungitur: [ *Et nemo loquebatur ei verbum*. ] Tacentes enim adversarios habemus, si veræ fidei filios prædicando generare negligimus. Si autem recta loqui incipimus, graves mox contumelias ex eorum responsione sentimus; protinus in aduersitatem profluunt, & contra nos in vocem doloris erumpunt: quia videlicet metunt, ne corda, quæ in infimis pondus stultitiæ aggravat, ad altum vox recta loquentis trahat. Quia ergo, ut diximus, mutos nos adversarij diligunt, loquentes odiunt, rectè apud tacentem Job dicitur: [ *Nemo loquebatur ei verbum*. ] Nonnumquam tamen cum per torporem inertia, fidelium corda considerant, erroris semina spargere loquendo non cessant. Cum verò mentes bonorum vident alta sapere, & ad patriam reditum querere, de ærumna hujus exilij strenuè dolere, circumspeditione sollicita linguam frænant: quia vident, quòd contra corda dolentium incassum loquentes citius obmutescunt. Unde & rectè cum diceretur: [ *Nemo loquebatur ei verbum*; ] mox causa silentij subinfertur, cum dicitur: [ *Videbant enim dolorem ejus esse vehementem*. ] Cum enim amoris Dei dolor vehemens corda nostra transigit, passim prava loqui adversarius metuit: quia videt, quòd intentam mentem lacebens, non solum ad perversitatem trahere non valet, sed per excitatam forsitan sapientiam & quos tenuerat, perdit.

*Quòd nonnumquam res gesta in actione male sint, in significatione verò virtutem prophetia contineant: sicut in David & uxore Uria accipitur.*

#### CAPUT XVI.

**F**ORTASSE aliquos mover, nos hæc ita dixisse, quòd quæ bene ab amicis gesta sunt, malè ab hæreticis gerenda significant. Sed sic plerumque res quælibet per historiam virtus est, per significationem culpa: sicut aliquando res gesta, in facto causa damnationis est, in scripto autem prophetia virtutis. Quod verum esse citius ostendemus, si unum sacre Scripturæ testimonium ad utraque probanda proferamus. Quis namque audiens, non solum fidelium, sed ipsorum quoque infidelium, [ \* hoc factum juxta historiam ] non solummodo detestetur, quòd David in solario deambulans, Bersabee Uria concupivit uxorem? Quem tamen à prælio revertentem ire ad domum admonet pedes lavare. Qui protinus respondit, dicens: *Arca Dei sub pellibus est, & ego in domo mea requiescam? Quem David ad mensam propriam suscepit, eique epistolas, per*

F ij



quas mori debeat, tradit. Cujus autem David in solario deambulans typum tenet, nisi ejus, de quo scriptum est: *In sole posuit tabernaculum suum?* Et quid est Berfabee ad se perducere, nisi legem litteræ, carnali populo conjunctam, spiritali sibi intellectu fociare? Berfabee enim puteus septimus dicitur: quia nimirum per cognitionem legis, infusione spiritalis gratiæ perfecta nobis sapientia ministratur. Quem verò Urias, nisi Judaicum populum signat? Cujus nomen interpretatum dicitur, Lux mea Deus. Judaicus enim populus, quia de accepta legis scientia extollitur, quasi de Dei luce gloriatur. Sed huic Uriæ David uxorem abstulit, sibi que conjunxit: quia videlicet manu fortis, quod David dicitur, in carne Redemptor apparens, dum de se spiritaliter loqui legem innouit, per hoc, quod juxta litteram tenebatur, hanc à Judaico populo extraneam demonstravit, sibi que conjunxit, quia se per illam prædicari declaravit. Uriam tamen ad domum redire David admonet pedes lavare: quia incarnatus Dominus veniens Judaico populo præcepit, ut ad conscientiam redeat, & fordes operum fletibus tergat; spiritaliter legis mandata intelligat, & post tantam duritiam præceptorum, fontem baptismatis inveniens, ad aquam post laborem recurrat. Sed Urias, qui arcam Domini esse sub pellibus meminit, respondit, quod domum suam intrare non possit. Ac si Judaicus populus dicat: Ego mandata Dei in sacrificiis carnalibus video, & redire ad conscientiam per spiritalem intelligentiam non requiro. Quasi enim arcam esse sub pellibus dicit, qui præcepta Dei non nisi ad exhibendum ministerium sacrificij carnalis intelligit. Hunc tamen etiam redire ad domum nolentem David ad mensam vocat: quia quamvis Judaicus populus ad conscientiam reverti contemnat, ei tamen Redemptor veniens mandata spiritalia prædicat, dicens: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Legem itaque Judaicus populus tenet, quæ ejus divinitatem loquitur, cui idem populus credere designatur. Unde & Urias ad Joab cum epistolis, ex quibus occidi debeat, mittitur: quia idem ipse Judaicus populus legem portat, qua convincente moriatur. Dum enim mandata legis retinens implere renititur; ipse nimirum desert judicium unde damnetur. Quid ergo per factum istud David scelestius? quid Uria mundius dici potest? Sed rursus per mysterium, quid David sanctius, quid Uria infidelius invenitur: quando & ille per vitæ culpam, prophetiæ signat innocentiam; & iste per vitæ innocentiam, in prophetia exprimit culpam? Non ergo incongruè per ea quæ bene ab amicis Job gesta sunt, malè ab hæreticis gerenda signantur: dum virtus sacri eloquij sic transacta narrat, ut ventura exprimat: sic in facto rem approbat, ut eadem in mysterio contradicat: sic gesta damnat, ut hæc mysticè gerenda persuadeat.

Igitur quia allegoriæ mysteria membratim enodantes explevimus, nunc moralitatis intelligentiam raptim tangentes exequamur. Ad obscuriora quippe disserenda mens properat: & si apertis diu involvitur, clausa, ut dignum est, pulsare præpeditur. Sæpe antiquus hostis postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit; non ut illatæ malitiæ finem præbeat, sed ut corda, quæ per quietem secura reddiderit, repente rediens facilius inopinatus irrumpat. Hinc est, quod ad tentandum beatum virum iterum redit, ejusque cruciatus expetit, quem tamen ei superna pietas retinendo concedit, dicens: *[Ecce in manu tua est, tantum animam illius serva.]* Sic quippe ille nos deserit, ut custodiat: sic custodit, ut tamen permisso tentationis articulo statum nobis nostræ infirmitatis ostendat. Qui mox à facie Domini exiit, atque à planta pedis usque ad verti-

cem acceptum feriendo vulneravit; quia nimirum cum licentiam percipit, à minimis incipiens, atque usque ad majora perveniens, quasi omne corpus, menti illatis tentationibus, lacerando transfigit. Sed tamen ad animam feriendo non pervenit: quia cunctis cogitationibus interior, inter ipsa vulnera delectationum quæ suscipit, arcani propositi intentio resistit; ut quamvis delectatio mentem mordeat, deliberationem tamen sanctæ rectitudinis usque ad consensus molliem non inflectat. Debemus tamen per asperitatem penitentiae, ipsa delectationum vulnera tergere, & censurâ districtioris rigida, si quid fluxum emanat in cogitatione mundare. Unde bene mox subditur:

**B** *Quod moraliter testa saniem radimus, cum culpam a voluntate & actione mundamus. Et quid mysterij sacrificium Gedeonis contineat.*

#### CAPUT XVII.

**Q**ui testa saniem radebat. ] Quid enim per testam, nisi vigor districtioris: quid per saniem, nisi fluxus illicitæ cogitationis accipitur? Percussi ergo testâ saniem radimus, cum post pollutionem cogitationis illicitæ, nosmetipsos asperè dijudicando mundamus. Potest etiam per testam fragilitas mortalitatis intelligi. Testâ ergo saniem mundare, est mortalitatis cursum fragilitatemque pensare, & putredinem miseræ delectationis abtergere. Nam dum quisque considerat, quàm citiùs caro ad pulverem redeat, festinè superat hoc, quod se de carne intus turpiter impugnat. Cum ergo ex tentatione prava mentem cogitatio influit, quasi ex vulnere sanies decurrit. Sed citiùs sanies tergitur, si in consideratione, nostra fragilitas quasi in manu testa teneatur. Neque enim parvipendenda sunt, quæ quamvis usque ad effectum non pertrahunt, tamen illicitè in mente versantur. Hinc est, quod quasi à vulneribus Redemptor noster saniem radere venerat, cum dicebat: *Audistis quia dictum est anti-* Matt. 5.  
*quis: Non machaberis. Ego autem dico vobis, quod si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam machatus est eam in corde suo.* Sanies itaque tergitur, cum culpa non solum ab opere, sed etiam à cogitatione refecatur. Hinc est, quod Gedeon cum Jud. 6. b  
*à paleis frumenta excuteret, Angelum vidit, ad-* \* al. 1c. adrobaal.  
cujus imperium protinus hædum coxit, quem super petram posuit, & jus carniū desuper effudit: quæ Angelus virgâ tetigit, eaque ignis exiens de petra consumpsit. Quid est enim frumentum virgâ cadere, nisi rectitudine judicij à vitiōrum paleis virtutum grana separare? Sed hæc agentibus Angelus apparet: quia tantò magis Dominus interiora denunciatur, quanto se studiosius homines ab exterioribus purgant. Qui occidi hædum præcipit, id est, omnem appetitum carnis nostræ immolari, carnesque super petram poni, & jus carniū desuper fundi. Quem alium signat petra, nisi eum, de quo per Paulum dicitur: *Petra autem erat* 1. Cor.  
*Christus?* Carnes ergo super petram ponimus, cum 10. a  
corpus nostrum in Christi imitatione cruciamus. Jus etiam carniū desuper fundit, qui in conversatione Christi ipsas etiam à se carnales cogitationes exinanit. Quasi enim jus ex carne liquidum in petram funditur, quando mens à cogitationum carnalium fluxu vacuatur. Quæ tamen mox Angelus virgâ tangit: quia intentionem nostram nequaquam potestas divini adjutorij deserit. De petra autem ignis exit, & jus carnesque consumit: quia afflatus à Redemptore spiritus, tantâ cor nostrum flammâ compunctionis concremat, ut omne quod in eo illicitum est & operis & cogitationis exurat. Quod ergo illic est in petram jus fundere, hoc est hinc saniem testâ mundare. Perfecta enim mens solertèr invigilat, ut non solum perverfa agere renuat, sed



23. omne etiam quod in se per cogitationes turpiter liquatur, tergat. Sed sepe de ipsa victoria bellum oritur, ut cum immunda cogitatio vincitur, victoris animus elatione pulsetur. Sic ergo mentem necesse est per munditiam erigi, ut tamen sollicitudine debeat in humilitate subterni.

*Quod in eo quod Job in sterquilinio sedere dicitur, describitur vera humilitatis consideratio.*

## CAPUT XVIII.

**V**NDÉ & cum de sancto viro diceretur. [Testa sanie mradabar.] protinus aperte subiungitur: [Sedens in sterquilinio.] In sterquilinio quippe sedere, est de se vilia quapiam & abjecta sentire. In sterquilinio nobis sedere, est ad ea quae illicitè gestimus, mentis oculos penitendo reducere, ut cum ante nos peccatorum stercorea cernimus, omne quod in animo de elatione surgit, inclinemus. In sterquilinio fedet, qui infirmitatem suam sollicitus respicit, & sese de bonis, quae per gratiam perceperit, non extollit. An non in sterquilinio apud se Abraham **Gen. 18.** federat, qui dicebat: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis?* Aperte enim cernimus, in quo se apud se loco posuerat, qui pulverem se ac cinerem, etiam dum cum Deo loqueretur, aestimabat. Si igitur ita se despicit, qui usque ad honorem divinae colloquutionis ascendit: sollicita intentione pensandum est, quae poena illi ferendi sunt, qui & ad summa non proficiunt, & tamen de minimis extolluntur. Nam sunt nonnulli, qui cum parva agunt, de semetipsis magna sentiunt: in altum mentem subleuant, & praere se ceteros virtutum meritis putant. Hi nimirum apud se introrsus humilitatis sterquilinum deserunt, & elationis fastigia ascendunt; illum videlicet imitantes, qui se primus apud se extulit, sed elevando prostravit: illum imitantes, qui accepta conditionis dignitate **Isai. 14.** contentus non fuit, dicens: *In calum conscendam, super astra caeli exaltabo solum meum.* Unde & ei male conjuncta Babylonia, idest, confusa multitudo peccantium, dicit: *Sedeo regina, & vidua non sum.* Quisquis ergo introrsus iniecit, in altum se apud semetipsum ponit. Sed eo se gravius in infimis deprimit, quod de se infima veraciter sentire contemnit. Sunt verò nonnulli, qui nihil quidem virtutis student agere, sed tamen cum alios peccare conspiciunt, iustos se in eorum comparatione suspiciantur. Neque enim corda omnium una vel similis culpa transigit. Hunc namque superbia illaqueat, illum forsitan ira supplantat, hunc autem avaritia cruciat, illum verò luxuria inflammat. Et plerumque contingit, ut is, quem superbia deprimit, alium respiciat qualiter ira succendat: & quia se non citius ira instigat, meliorem se iracundo jam reputat, atque apud semetipsum quasi de justitia extollitur: quia pensare vitium negligit, quo gravius tenetur. Plerumque contingit, ut is, quem avaritia fauciat, alium in luxuria voragine mersum cernat: & quia se à pollutione carnali alienum respicit, quibus ipse fordibus spiritalis vitij intrinsecus polluitur, non attendit; dumque in alio pensat malum quod ipse non habet, in se negligit considerare quod habet: sicque fit, ut dum ad aliena judicanda mens ducitur, proprii judicij lumine privetur; & eo durius contra aliena superbiat, quod sua negligentius ignorat. At contra hi, qui ad alta virtutum surgere veraciter appetunt, cum alienas culpas audiunt, mox cor ad proprias reducunt: & tanto rectius illas judicant, quanto verius istas deplorant. Quia igitur electus quisque in infirmitatis suae consideratione se comprimit, dicatur rectè, quod vir sanctus in sterquilinio dolens fedet. Qui enim verè se humiliat, continua consideratione oculo, quibus circumseptus sit delictorum for-

**A** dibus proficiens pensat. Sciendum verò est, quia plerumque in prosperis importuna tentatione mens tangitur. Sed tamen aliquando & adversa exterius patimur, & intus tentationis impulsu fatigamur: ut & carnem flagella crucient, & tamen ad mentem carnalis suggestio inundet. Unde & bene post tot beati Job vulnera, adhuc subjuncta sunt etiam malè suadentis uxoris verba, quae ait: [Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo & more.] Uxor quippe malè suadens, est carnalis cogitatio mentem laceffens. Sæpe enim, ut dictum est, & foris flagellis atterimur, & intus carnali suggestione fatigamur. Hinc est enim, quod Jeremias deplorat, dicens: *Foris interfecit gladius, & domus mea similis est.* Foris enim gladius interfecit, cum nos exterius feriens vindicta configit. Sed domus similis est: quia & flagella quidem sustinet, & tamen intus conscientia à tentationis fordibus munda non est. Hinc David ait: *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti, & Angelus Domini affligens eos.* Qui enim in corde suo auram tentationis rapitur, quasi ante venti faciem pulvis elevatur. Et cum inter hæc divina districtio percutit, quid aliud, quam Angelus Domini affligit? Sed hæc aliter aguntur à reprobis, aliter ab electis. Illorum namque corda ita tentantur, ut consentiant: **\* Istorum verò tentationes quidem suspiciunt, sed restorantur pugnant.** Illorum mens delectabiliter capitur, etsi ad tempus, quod malè suggeritur, displicet, sed postmodum per deliberationem liber: **\* Illi verò sic tentationum jacula excipiunt, ut semper resistendo fatigentur; & si quando usque ad delectationem tentata mens rapitur, ipsam tamen citius subreptionem suae delectationis erubescunt, & forti censura redarguunt, quidquid intra se exurgere carnale deprehendunt. Unde & bene mox subiungitur:**

*Quod sub virtutis specie blanda ad nos facie vitia veniunt: sed quid veneni intus habeant, in fine ostendunt.*

## CAPUT XIX.

**L**ocuta es quasi una ex stultis mulieribus: Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus? Dignum quippe est, ut sancta mens spiritali correptione comprimat, quidquid apud se carnale insolenter immurmurat; ne caro aut loquens aspera, ad impatientiam illam pertrahat, aut loquens blanda, ad libidinis fluxa dissolvat. Censura igitur virilis, illicite cogitationis suggestionem redarguens, dissolutam turpitudinis mollitiem reprimat, dicens: [Locuta es quasi una ex stultis mulieribus.] Et rursus consideratio numerum cogitationis asperæ impatientiam refrænet, dicens: [Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?] Quisquis autem subigere vitia appetit, & ad æterna interna retributionis culmina veræ intentionis gressibus tendit, quod magis vallari se vitiorum bello undique conspicit, eo se virtutum armis robustius accingit: & tanto minus jacula metuit, quanto contra hæc venientia fortiter pectus munit. Sed plerumque dum contra hoc tentationum bellum fulcra magnis virtutibus nitimur, quaedam se nobis vitia sub specie virtutum regunt, & quasi blanda ad nos facie veniunt: sed **E** cujus adversitatis sint, discussa sentiuntur. Unde & amici beati Job quasi pro consolatione conveniunt, sed in contumelias erumpunt; quia infidantia vitia virtutum faciem sumunt, sed hostili invectione nos feriunt. Nam sæpe immoderata ira, justitia: & sæpe dissoluta remissio, misericordia vult videri. Sæpe incautus timor humilitas: sæpe effrenata superbia appetit libertas apparere. Ad consolandum ergo amici veniunt, sed ad increpationis verba di-



labuntur; quia nimirum vitia virtutum specie palliata, blanda quidem superficie inchoant, sed apera nos contrarietate perturbant. Bene autem dicitur: [ *Condixerant enim sibi, ut pariter venientes viderent eum.* ] Vitia quippe sibi sub virtutum prætextu condicunt; quia sunt quedam vitia, quæ adversum nos inter se quadam convenientia conjunguntur, sicut superbia & ira, remissio & timor. Vicina namque est ira superbiæ, & remissio timori. Condicendo ergo veniunt, quæ contra nos sibi ex quadam pravitate cognitione sociantur. Sed si ærumnam nostræ captivitatis agnoscimus, si ex amore æternæ patriæ in intimis dolemus, vitia, quæ malè lætis surrepunt, bene tristibus prævalere non possunt. Unde & bene subditur: [ *Cumque elevassent procul oculos suos, non agnoverunt eum.* ] Afflictos enim nos vitia minimè cognoscunt: quia triste cor mox ut pulsaverint, reprobata resiliunt; & quæ nos lætos quasi noverant, quia penetrabant, mœrentes cognoscere nequeunt, quia ipso nostro rigore franguntur. Sed antiquus hostis, quò in eis fortiter deprehendi se conspiciat, eò illa sub virtutum imagine altius abscondit. Unde & subditur: [ *Et exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in calum, & sederunt cum eo in terra septem diebus & septem noctibus.* ] Signatur enim pietas per ploratum, discretio per scissionem vestium, affectus operum per pulverem capitum, humilitas per scissionem. Aliquantum enim pium quid hostis insidians simulat, ut ad crudelitatis terminum deducat; sicut est, cum plesti per disciplinam culpam prohibet, quatenus quæ hic non reprimuntur, igne gehennæ feriat. Aliquando discretionis imaginem oculis objicit, ut ad indiscretionis laqueos perducatur; sicut est, cum impulsu ejus pro infirmitate nobis plus alimentorum quasi discretè concedimus, sed indiscretè contra nos bella carnis excitamus. Aliquando affectum simulat bonorum operum, sed per hunc inquietudinem irrogat laborum; sicut est, cum

A quis quiescere non valet, & quasi de otio judicari timet. Aliquando imaginem humilitatis ostentat, ut affectum utilitatis subtrahat; sicut est, cum quosdam, plusquam sunt, infirmos atque inutiles sibi metipsis asserit, ut dum se nimis indignos considerant, res, in quibus prodesse proximis poterant, ministrare pertimescant. Sed hæc vitia, quæ sub virtutum specie antiquus hostis occultat, valde subtiliter manus compunctionis examinat. Qui enim veraciter intus dolet, quæ agenda foris, quæve non agenda sint, fortiter prævidet. Si enim novis compunctionis in intimis afficit, omnis strepitus pravæ suggestionis obmutescit. Unde & sequitur: [ *Et nemo loquebatur ei verbum: videbans enim dolorem ejus esse vehementem.* ] Si enim cor veraciter dolet, linguam contra nos vitia non habent. Nam cum plene vita rectitudinis queritur, supervacua suggestio pravitatis obturatur. Sæpe autem si forti nos studio contra vitiorum incentiva stringimus, ipsa etiam vitia ad usum virtutis immutamus. Nonnullos namque ira possidet: sed hanc, dum rationi subjiciunt, in sancti zeli ministerium vertunt. Nonnullos superbia erigit: sed dum divinæ formidini animum inclinant, hanc ad defensionem justitiæ in vocem liberæ auctoritatis immutant. Nonnullos fortitudo carnis illecebrat: sed dum exercendis piis operibus corpus subdunt, unde iniquitatis stimulos passi sunt, inde pietatis lucra mercantur. Unde & bene idem beatus Job post multa certamina hostiam pro amicis immolat. Quos enim per contentionem diu hostes pertulit, quandoque per sacrificium cives reddit: quia dum vitiosas quasque cogitationes subigendo in virtutes vertimus, tentationum adversa studia per intentionis hostiam, quasi ad amica corda permutamus. Hæc nos in tribus voluminibus tripliciter differuisse sufficiat. In ipso namque operis hujus exordio velut in molem nascituræ arboris linguæ radicem fiximus: ut expositionis ramos postmodum, prout singula expetunt loca, producamus.

S AN C T I G R E G O R I I  
M O R A L I S E X P O S I T I O N I S  
I N B E A T V M I O B  
L I B E R Q V A R T V S.

CAPUT PRIMUM.

\* al. diffidunt. ex la-  
menci  
in voca-  
bulario.  
\* al. dif-  
ferunt.  
Eccli. 7.



UI textum considerat, & sensum sacrae locutionis ignorat, non tam se cruditione instruit, quam ambiguitate confundit; quia nonnumquam sibi litteræ verba contradicunt: sed dum a semetipsis per contrarietatem \* diffident, lectorem ad intelligentiam veritatis mittunt. Quid enim est quòd Salomon ait: *Melius est comedere & bibere*: & non longè post subjicit: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivij?* Cur luctum convivio prætulit, qui prius esum potumque laudavit? Si enim per electionem bonum est comedere & bibere, proculdubio melius esse debet ad domum gaudij, quam ad domum lamenti properare. Hinc est, quòd iterum dicit: *Latare juvenis in adolescentia tua.* Et paulò post adjunxit: *Adolescentia & voluptas vana sunt.* Quid est hoc, quòd vel prius reprehendenda præcipit, vel post, præcepta re-

Eccli.  
22. b

A prendit: nisi quòd ipsis litteræ verbis innuit, ut qui difficultatem exterius patitur, veritatis intelligentiam consideret, quam sequatur? quæ nimirum veritatis intelligentia cum per cordis humilitatem queritur, assiduitate legendi penetratur. Sicut enim ignotorum hominum facies cernimus, & corda nescimus, sed si familiari eis locutione conjungimur, usu colloquij eorum etiam cogitationes indagamus: ita cum in sacro eloquio sola historia aspicitur, nihil aliud, quam facies videtur; sed si huic assiduo usu conjungimur, ejus nimirum mentem quasi ex colloquutionis familiaritate penetramus. Dum enim alia ex aliis colligimus, facilè in ejus verbis agnoscimus, aliud esse quòd intimat, aliud quòd sonant. Tantò autem quisque notitiæ illius extraneus redditur, quantò in sola ejus superficie ligatur. Sequitur: